



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disputatio XLI. De Creatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



V. Solùm ergo ex hac necessitate in actu primo habetur, debere, nisi aliquod impedimentum interveniat, necessarid sequi determinationem in actu secundo: & hæc est differentia inter causam necessariam, & liberam, quòd hæc nec in actu primo sit necessitata, & determinata ad operandum, sic tamen illa, utpote quæ, quandocunque potest, operatur necessarid, & determinat se agendum. Sic etiam, si Deus velit Petrum moveri, & parietem esse album, nec ille potest non moveri, nec hic non esse album, sed uterque est determinatus in actu primo, ad motum ille, hic ad albedinem, uterque tamen ulterius eget determinativo formali, seu in actu secundo, nempe

formam aliquam, per quam Petrus moveatur, & paries reddatur albus. Unde prior determinatio, seu in actu primo tantum est mediata, remota, & effectiva determinationis formalis, non autem est ipsa formalis determinatio in actu secundo.

Adde nihilominus, licet res, quæ de facto sunt, producantur per actionem distinctam, cum sint indifferentes, ut nunc ab hac causa producantur, nunc ab illa, nullam tamen mihi apparere implicantiã quò minus dentur nonnulli effectus qui immediatè, & per se, seu sine actione distincta ab agente aliquo dependeant. Quod multi affirmant de actibus intellectus, & voluntatis.

VI. Non repugnant effectus dependentes per se à suis causis.

# DISPUTATIO XLI.

## De Creatione.

### SECTIO PRIMA.

#### Sine possibilis Creatio.

I. **Q**uid nomine creationis intelligatur. Per Creationem, cum Patribus & Theologis omnibus intelligo productionem rei ex nihilo. Quam Creationis definitionem cum S. Thoma I. p. q. 54. ar. 1. arg. Sed contra. admittunt Theologi omnes, ut testatur Vasq. I. p. d. 17. ca. 1. n. 1. & Tanner. I. p. d. 6. qu. 1. dub. 1. num. 3. ait esse certam, atque ab omnibus receptam doctrinam. Et præter communem Theologorum consensionem, ita loquitur Beda in cap. 1. Genesis, & Anselm. cap. 8. Monolog. & alij. Qua de re sect. sequente iterum redibit sermo.

II. **N**egat itaque Aristoteles Creationem esse possibilem, eaque de causa mundum statuit ab æterno, ut esset commune aliquod subjectum, ex quo res omnes educerentur, unde ex nihilo aliquid fieri, seu non ex aliquo subjecto, omninò judicabat impossibile. Subjecti verò hujus nullum principium assignavit, ne si illud ab aliquo productum fuisse diceret, agnosceret creationem.

III. **I**n hoc eodem errore fuisse Platonem, & alios nonnullos ex antiquis refert Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 1. & 8. Epiphani. hæ. 7. Lactant. 1. 2. de orig. errorum, & alij. Hos Philosophos multos secuti sunt ex Hæreticis, ut Hermogenes, Manichæus, & alij. Plato ergo, ne Creationem, seu productionem rei ex nihilo agnosceret, materiam negabat esse factam, sed ex se existentiam semper, & necessarid habuisse, fuisseque Deo coæternam: quem, ut dictum est, hac in parte plurimi secuti sunt ex Philosophis antiquis: adeò omnibus animo infederat ex nihilo nihil fieri.

IV. **H**anc sententiam ut erroneam, Theologi omnes, & Philosophi sanctorum Patrum auctoritati innixi rejiciunt, & tanquam omninò falsam & improbabilem longissimè à Scholis ablegandam censent.

V. **V**ereor tamen ne in eam recentior quidam non ita pridem inciderit, qui, licet verbo tenus creationem admittat, re tamen verà eam penitus tollit, imò impossibilem esse affirmat. Ita enim cum Philosophis citatis principio illi ex nihilo nihil fit tenaciter adhæret, ut illud aeterna veritatis esse pronuntiet, cujus proinde veritas infringi nullà ratione possit. Priùs ergo quàm hanc sententiam impugnem.

VI. **N**otandum cum Philosophis omnibus, propositiones aeterna veritatis esse illas, quarum veritas ejus-

modi est, ut violari nullà ratione possit, nec res per ullam potentiam, etiam Divinam, aliter se habere quàm talis propositio affirmet. Hujusmodi propositiones in omnibus fermè scientiis reperiuntur, ut homo est animal: Homo est rationalis: in Physicà, Omne totum est majus sua parte: in metaphysicà, Non potest idem esse simul, & non esse: in Arithmeticà, si ab aequalibus aequalia demas, quæ remanent, erunt aequalia: in Geometricà, Triangulus rectilineus habet tres angulos aequales duobus rectis: quibus contraria, inquit S. Thomas 1. 2. cont. Gen. c. 25. n. 9. & 10. ne quidem Deus facere potest. Sicut, ut est manifestum, facere nequit ut homo sit, & non sit animal. His circa naturam propositionum aeterna veritatis prænotatis, sit

Conclusio: Certissimum est, hanc propositionem **Ex nihilo nihil fit**, non esse aeterna veritatis. Ratio est clara: propositiones namque aeterna veritatis, ut proxime dictum est, sunt illæ, quarum veritas ita fixa est ac firma, ut nec Deus contrarium illi facere possit quod hæc propositiones enuntiant, sed Deus potest facere contrarium illi quod hæc propositio enuntiat, ergo non est aeterna veritatis. Major & consequentia sunt clara: minor probatur, Deus de facto hunc mundum produxit ex nihilo, licet enim formas materiales eduxerit ex materiã, tanquam ex subjecto, materiam tamen ipsam produxit ex nihilo, ut est certissimum, nec inficiari ullus potest, nisi labatur in errorem Philosophorum supra positum, qui, ne, quidquam ex nihilo fieri concederent, materiam Deo coævam posuerunt, & improductam. Conf. Angeli ex nihilo producti sunt: cum enim sint substantiæ totales & completæ, nequeunt ulli subjecto formarum instar uniri, sicque ex ejus potentia educi, ut est manifestum.

Secundò probatur ex illo Michab. 2. cap. 7. v. 28. **Peto, nate, ut aspicias ad calum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.** Conf. ex illo Genesis 1. v. 1. **In principio creavit Deus calum & terram: hoc est, (ut explicat Beda, & S. Thomas nu. 1. citati, & alij Patres) ea ex nihilo fecit.** Certissimum ergo est, hanc propositionem. **Ex nihilo nihil fit**, non esse aeterna veritatis.

Ratio demum à priori est: quamvis enim actioni creativæ naturæ vires sint impares, nec ex nihilo, seu non concurrente subjecto, facere quidquam possunt; Deus tamen, cujus infinita est vis agendi, has naturæ leges infringere potest, & per se concursum subjecti perfectiori modo, seu in genere causæ efficientis supplere, ut de facto facit in speciebus Eucharisticis.

Quid sit propositio aeterna veritatis.

S. Thomas.

VII. Hæc propositio Ex nihilo nihil fit non est aeterna veritatis.

Probatur quia mundus ex nihilo est factus.

Angeli sunt ex nihilo.

VIII. Secundo probatur auctoritate Scripturæ.

IX. Ratio à priori, quare non sit aeterna veritatis ex nihilo nihil fieri.



X. Hac Cartesii doctrina occasione circa ad praesentem sit si philosophis.

Inveniet fortasse rationem aliquam hic auctor, quae se ab hoc errore eximat, quam libenter videbo. In hoc tamen tractatu, in quo creationis naturam explicandam suscepi, dissimulare hoc non debui, ne in rebus Philosophicis minus versati, ex hac ejus doctrina, errandi occasionem sumant, & cum Philosophis supra citatis opinandi, mundum non ex nihilo, sed ex praesente aliqua materia fuisse conditum: quod sine dubio evidenter sequitur, si haec propositio *Ex nihilo nihil fit, sit aeterna veritatis.*

quo pacto materia prima, anima rationalis, & Angeli producuntur, nullo scilicet concurrente subiecto. Hoc etiam confirmat quod dici solet, creationem esse productionem entis simpliciter, generationem vero non simpliciter, sed secundum quid, seu ex tali particulari non esse, nempe de non esse in tali subiecto: non quod verè non producat etiam res per generationem, sed quod illud quod creatur, dicatur procedere de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & non ad tale esse, seu in subiecto, cum id quod creatur, reddatur per actionem creativam omnino absolutum & independens ab omni subiecto, quo sensu dicitur communiter *creationem esse rerum subsistentium*, seu per se stantium, nempe sine adminiculo subiecti.

Creatio est productio simpliciter, generatio productio secundum quid.

Creatio est rerum subsistentium.

SECTIO II.

Nonnulla circa Creationem: ubi, an idem terminus possit simul generari & creari.

I. Creatio nunquam late sumitur, & idem est ac productio.

CREATIO aliquando late sumitur, prout idem est ac productio: sic res omnes dicuntur creaturae, & Deus creator caeli & terrae: sic etiam dicitur *creasse cetera grandia, & omnem animam quam produxerant aquae*, licet aquae non crearent, & alia hujusmodi. Ideo tamen dici potest Deus haec omnia creare, non quod actio totalis ad res istas terminata sit creatio, cum formae & uniones plerumque educantur, sed quia actio determinata ad materiam, quae est quasi fundamentum aliorum omnium, & basis totius compositi, ex qua nimirum forma & unio educuntur, est creatio. Hic verò sermonem instituumus de creatione proprie, & strictè dicta, & prout distinguitur ab actione educativa, quo sensu definitur à S. Thoma 1. p. q. 45. art. 1. estque ab omnibus recepta definitio: *Creatio est productio entis ex nihilo.*

Definitio Creationis strictè sumpta.

II. Quid intelligatur per particulas ex nihilo.

Magna hic est inter auctores controversia quid intelligatur per particulas illas *ex nihilo*. P. Vasq. 1. p. d. 172. c. 3. n. 12. Tanner. 1. p. d. 6. q. 1. dub. 1. & dub. 3. n. 12. quibus favere videtur Valent. 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. rem ex nihilo produci perinde esse dicunt, ac produci ex negatione sui. Afferunt ergo, particulas illas *ex nihilo*, duobus modis sumi posse, affirmativè, & negativè: negativè, ut *ex nihilo* idem sonet, ac *non ex aliquo*: affirmativè, ut particulae illae *ex nihilo* idem significant atque *ex non aliquo*, seu *ex non ente*, ut scilicet res aliquo modo connoter negationem sui.

III. Ex nihilo non significat ex negatione sui.

Contra primò, tam forma materialis, vel accidentis quodeunque, quando generatur, procedit ex negatione sui, quam Angelus, & materia prima, & tamen non creatur. Contra secundò, si Angelus creatus fuisset ab aeterno, quod possibile esse admittit P. Vasquez, licet Tannerus neget, verè actio illa fuisset creatio, qua productus tunc fuisset Angelus, & tamen non processisset Angelus ex negatione sui, cum, si productus sit ab aeterno, semper fuerit, ergo nunquam fuit verum dicere, *nunc non est*, ergo nec etiam dicere, *nunc negatio eius est*, ergo non processit de negatione sui, cum illa negatio nunquam fuerit. Nec urget quod contra hoc infert Tannerus loco citato, sequi nimirum, generationem Verbi aeterni esse creationem, cum hoc solum capite, inquit, excludatur à creatione, quod non procedat Verbum Divinum ex negatione sui. Hoc, inquam, non urget, multis enim aliis nominibus differt generatio Verbi aeterni à creatione, nempe, quod non procedat per veram dependentiam, & causalitatem; quod non recipiat suum esse per participationem, & limitatè sicut creaturae &c.

IV. Cui generatio Verbi Divini non sit creatio.

Ly ergo *ex nihilo* idem dicit atque ex nullo praesupposito subiecto: sicut enim illa actio vocatur generatio, quae producit terminum dependentem à subiecto, ita creatio, quae illi opponitur, est quae producit terminum independentem ab omni subiecto,

IV. Ex nihilo perinde est atque ex nullo subiecto.

Quod ergo creatur, potest ex vi suae productionis existere extra omne subiectum, nisi aliunde subiecto alligetur, ut contingit in modis, qui proinde non ita strictè & rigorosè possunt creari, licet produci possint independentem ab omni subiecto materialiter in eos influente: de quo supra d. 13. sec. 3. Obstat etiam videtur creationi proprie dictae, si fiat res ex aliquo termino à quo positivo, qui pereat ad creationem hujus, ut si ad creationem formae ignis in materia ligni, pereat forma ligni: tunc enim foret conversio, & non purè creatio: sed est quaestio fortè de nomine, & dici poterit conversio creativa, vel creatio conversiva.

V. Modi proprie non creantur.

Conversio creativa, creatio conversiva.

Quaeres utrum eadem res possit divinitus simul generari & creari? Quoad diversa loca non videtur dubium, quin scilicet possit Deus eandem formam ignis, vel albedinem, quam hic educit è potentia subiecti, conservare Romae sine omni subiecto. Difficultas ergo est de eodem loco: de quo etiam Resp. affirmativè, nempe posse eandem rem per diversas actiones totales simul creari & generari, in hoc enim nulla apparet implicancia; creatio namque & generatio non opponuntur contradictoriè: nec enim creatio requirit ut aliunde terminus non dependeat à subiecto, seu per aliam actionem, sed solum ut non dependeat per ipsam actionem. Sic ergo creatio reddit terminum independentem à subiecto, ut *ly independens* non sumatur negativè, seu exclusivè, id est, ita ut dicat negationem dependentiae simpliciter & absolutè, sed solum sumitur praesicivè, ita scilicet, ut à creatione dependentiam illam non habeat. Sic in Logica d. 50. c. 2. diximus scientiam & fidem posse esse simul in eodem intellectu de eodem objecto; licet enim fides, utpote obscura, non afferat claritatem, eam tamen aliunde habitam non excludit.

VI.

Potest albedo, etiam in eodem loco generari simul, & creari.

Dices; ergo eadem actio numero poterit esse generatio & creatio, cum juxta dicta d. illa 50. Log. l. 4. idem actus possit esse fides & scientia. Resp. mihi hoc videri satis probabile respectu diversi termini, etiam in eodem loco: ex. g. si Deus eadem actione in animà Petri creet illius intellectum, & educat voluntatem, vel in eadem materia primà producat duas formas ignis, vel duas albedines eadem actione, quarum tamen altera forma & albedo generatur, altera creetur: nec enim magis videtur sequi, fore actionem illam creationem: & non fore creationem, cum sit respectus ad diversum terminum, quam alium actum qui est fides & scientia, fore scientiam, & non fore scientiam, quia scilicet diversam illam rationem fidei & scientiae habet à diverso motivo.

VII. Dices; in eadem actio poterit esse generatio, & creatio.

Dicendum tamen, non posse eandem actionem numero; ne quidem respectu diversi termini, esse simul creationem & generationem. Ratio est, quia actio necessariò tribuit suis terminis illam denominationem ut quod quam in se habet ut quo: cum ergo

VIII.

hæc



Resp. non  
posse eandem  
actionem esse  
generatio-  
nem, &  
creationem,  
& quare.

**IX.** Nec urget si quis dicat, actionem illam habere hanc denominationem ut quo respectu unius termini, non respectu alterius. Hoc, inquam, non urget, denominatio enim dependentis vel non dependentis desumitur precisè à subjecto, seu passo. Unde sicut, quia albedo non est in senigra, aut calida ut quo, non potest hanc denominationem ulli subjecto communicare ut quod, sic, cum hæc actio simpliciter sit dependens à subjecto, non potest ullum terminum denominare independentem, cum in se non sit independentem ut quo. Licet ergo forma non semper det omnem denominationem & effectum formalem quem habet, omni subjecto, cum effectus formalis detur secundum capacitatem subjecti, ut diximus, nunquam tamen potest forma ulli subjecto tribuere denominationem aliquam, & effectum formalem quem non habet.

SECTIO III.

Utrum Creatio sit distincta ab Agente & Termino.

**I.** Prima sententia negat Creationem distingui ab Agente & Termino. Hanc sententiam à fortiori tenent illi omnes quos disp. præcedente, l. 6. citavi pro sententiâ asserente actionem eductivam non distingui ab agente, subjecto, & termino. Idem tenere videtur Scotus in 2. d. 1. q. 2. §. ad quæst. istam. Valentia 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. §. si autem creatio. Vasq. 1. p. d. 173. c. 3. & alij.

**II.** Secunda sententia affirmat creationem esse aliquid realiter à termino distinctum, & per quod creatura refertur ad creatorem: ita S. Thomas 1. p. q. 54. ar. 3. corp. & 2. cont. Gen. c. 18. Ferrar. ibidem, §. ad evidentiam 3. dubij: tenet absolute Suárez d. 20. Met. l. 5. n. 11. & 15. Molina 1. p. q. 45. ar. 3. Tanner, 1. p. d. 6. q. 1. dub. 1. n. 11. & 12. Idem quoad terminum naturâ suâ educibilem tenet Hurt. d. 12. Phy. l. 3. n. 26. Arriaga d. 9. Phy. sect. 4. nu. 53. & Oviedo cont. 12. Phy. p. 2. n. 11. & 14. quamvis magnâ cum formidine.

**III.** Dico primò: res quævis naturâ suâ à subjecto dependens, ut quantitas, albedo, &c. procedit ab agente per creationem à se realiter distinctam. Ita auctores secundæ sententiæ. Probat in speciebus Eucharisticis, sapore, odore, frigore, albedine &c. quæ, cum prius per actionem eductivam, seu generativam conservarentur, postea conservantur per creationem: manifestum ergo videtur, creationem realiter distinguui ab eorum entitate, cum species illæ antea extiterint, & non extiterit creatio.

**IV.** Dico secundò: probabilis mihi videtur, Angelum, animam rationalem, materiam primam, & si qua sunt hujusmodi, produci à Deo per actionem distinctam: ita Suar. d. 20. Met. l. 5. n. 12. & 15. Arriaga d. 9. Phy. l. 4. n. 53. Oviedo cont. 13. Phy. p. 2. n. 11. & alij contra Hurtado, d. 12. Phy. l. 5. n. 31. Hæc opinio est conformior illi quam supra d. 27. l. 4. & 6. num. 9. secutus sum de potentiâ obedienciali latâ, ubi admisi elevari posse muscam ad producendum Angelum.

**V.** Ratio est, licet enim Angelus connaturaliter peccat produci à solo Deo, non sequitur quin supernaturaliter produci possit ab aliquo alio, simul cum

R. P. Th. Compteni Philosophia.

Deo ad illius creationem concurrente: sicut licet accidentia conaturaliter petant educi ex subjecto, supernaturaliter tamen possunt sine subjecto per concursum creativum produci & conservari. Hinc ergo aperte sequitur, Angelum non esse suam productionem, sic enim nihil elevari posset ad eum producendum, cum ad actionem dari nequeat actio.

Obicit P. Hur. citatus: Angelus per se, & suam entitatem est independentem à subjecto, ergo non eget formâ aliquâ distinctâ, seu creatione, per quam habeat hanc independentiam, hæc enim forma supponeret suum effectum formalem. Resp. primò, effectum primarium creationis non esse, reddere terminum independentem à subjecto, sed dare illi existentiam: reddere verò eum independentem à subjecto, est effectus tantum secundarius.

Ad id quod additur, creationem hic supponere effectum suum formalem. Dico, varia subinde supponere effectum suum secundarium, & inadæquatum, ut latè ex aliâ occasione ostendi supra d. 19. sec. 3. n. 4. & 6. Quibus addo, hoc in omni ubicatione circumscriptivâ quantitatis contingere: partes enim quantitatis ex naturâ suâ habent ut una sit extra aliam, cum naturaliter inter se penetrari nequeant, & tamen hoc iterum habent à tali ubicatione, quæ denud hoc eis tribuit, & quâ stante, nec divinitus possunt inter se penetrari, sed una necessariò est extra aliam, sicque novo titulo tribuit effectum, quem antecederet ad sui existentiam invenit. Quod tamen non censetur inconveniens, cum solum sit effectus ejus secundarius, primarius enim effectus ubicationis est quantitatem tali loco figere. Idem loco proximè citato ostendi in unione, substantiâ totali, & aliis: quæ applicari hic possunt creationi respectu Angeli.

Resp. secundò, distinguendo antecedens: Angelus est independentem à subjecto, & simul essentialiter determinatus ad dependendum ab hoc agente potius quàm ab alio, nego antecedens; est independentem cum indifferentiâ ut producat ab hoc vel illo agente, concedo. Ad hanc ergo indifferentiam tollendam requiritur operatio distincta, non ad dandam independentiam.

Addo ulterius cum P. Arriaga citato n. 55. independentiam duplicem esse, positivam, & negativam: hanc tantum habent Angelus ex se, & ipsi convenit antequam producat, cum ab æterno verum fuerit Angelum non dependere à subjecto. Per creationem verò accipit independentiam positivam à subjecto, quam antea non habebat, sicque à novâ formâ novus ei provenit effectus formalis.

Dico tertio: si sit possibilis res aliqua creata, quæ ita essentialiter respiciat Deum solum, ut non possit, nec divinitus produci ab aliquo alio ad hoc à Deo elevato, res illa non produceretur per actionem à se distinctam, sed erit sua creatio. Ratio est clara, jam enim omnimodè est per se determinata ad unicum principium productivum, sicque, cum nulla omnino sit indifferentia, & indeterminatio, nihil ad eam tollendam requiritur, sed res per se est omnis indeterminationis sublatio.

SECTIO IV.

An Creatio consistat in volitione Divinâ.

**P**rima Conclusio: Creatio non est volitio Divinâ, quæ vult terminum tali tempore existere: ita Suar. Hurt. & alij citati. Probat, quia volitio Divi-

Ratio est  
quia elevari  
potest crea-  
tura ad pro-  
ducendum  
Angelum.

**VI.**  
Effectus pri-  
marius crea-  
tionis est da-  
re existen-  
tiam termi-  
no.

**VII.**  
Varia forma  
supponunt  
effectum  
secundari-  
um, & imo  
adæquatum.

**VIII.**  
Creatio dis-  
tincta re-  
quiritur ad  
tollendam  
indifferentiam.

**IX.**  
Indifferentia  
duplex, positiv-  
a, & nega-  
tiva.

**X.**  
Res essentialiter  
respiciens  
à Deo sola  
non potest  
produci per  
actionem dis-  
tinctam.

**I.**  
Creatio non  
consistit in  
volitione di-  
vine.



Passio  
aut  
non  
creatur  
ab aeterno

IV

II.

Dices creatio est volitio divina pro tali tempore.

Sed contra, hinc enim sequeretur Angelum esse creatum ab aeterno pro tali tempore.

III.

Creatio non est volitio Dei & tale tempus.

IV.

Quare creatio ponatur in tempore, si de eius volitio in Deo fuerit ab aeterno.

na erat ab aeterno, sed creatio non erat ab aeterno. ergo volitio Divina non est creatio. Major est certa, minor probatur, si creatio fuit ab aeterno, ergo & terminus creatus erat ab aeterno, sicut enim implicat cognitionem Dei esse ab aeterno, & objectum non esse cognitum ab aeterno, vel unionem esse ab aeterno, & non extrema unita ab aeterno, ita & implicat creationem esse ab aeterno, quin res fuerit creata ab aeterno, non enim minus est creatio actualis tendentia in terminum, quam cognitio in objectum, vel unio in extrema.

Dices, volitio Divina non est creatio pro quocunque tempore, sed solum pro illo determinato tempore quod connotat, vult enim Deus creare Angelum, non ab aeterno vel quocunque tempore, sed tali determinato instante temporis, ac proinde volitio illa est creatio, non pro aeternitate, aut quocunque tempore, sed pro illo determinato, in quo illum vult creare. Contra, ergo volitio Divina quae est ab aeterno, est creatio ab aeterno pro tali tempore, ergo Angelus est creatus ab aeterno pro tali tempore, sicut enim quia volitio Divina, illum vult ab aeterno pro tali tempore, est volitio ab aeterno pro tali tempore; ita si sola volitio illa sit creatio ab aeterno pro tali tempore, erit etiam creatus Angelus ab aeterno pro tali tempore, ergo vel non est idem voluntas creandi & creatio, vel, si sit voluntas creandi ab aeterno, erit etiam creatio ab aeterno pro tali tempore; si enim idem sit velle ab aeterno creare pro tali tempore, & creare, si vult ab aeterno creare pro tali tempore, etiam creat ab aeterno pro tali tempore, idem enim est in re, ut supponitur.

Dices: volitio Dei sola non est creatio, sed volitio Dei & tale tempus, ita ut creatio sit aggregatum ex volitione Dei, & tali tempore. Contra, actualis productio est actualis tendentia physica in terminum seu effectum, sed per solum tale tempus non potest volitio illa Dei fieri actualis physica tendentia in terminum, si antea non erat, istud enim non potest habere a tempore, praesertim imaginario, cum hoc vel nihil sit, vel ad summum negatio. Deinde, hoc tempus non est formalis & actualis respicientia physica illius Angeli, cum non majorem connexionem habeat Angelus cum hoc instante vel tempore, quam cum ullo alio. Tandem, non potest id a se habere, nihil enim habet volitio Dei in tempore, quod non habuit ab aeterno. Hic etiam urgent pleraque ex iis, quae disp. praecedente sec. 6. & 7. attuli ad probandum actionem educativam non consistere in voluntate Dei.

Objicies, primo: licet volitio hujus numero creationis, qua in hoc instante creatur Angelus, fuerit ab aeterno, haec tamen creatio non propterea emerit ab aeterno, sed solum eo tempore pro quo illam voluit haec volitio, ergo licet volitio illa fuerit ab aeterno creatio, non sequitur Angelum debere fuisse creatum ab aeterno. Resp. negando consequentiam, disparitas est manifesta, quia volitio illa non est productio illius creationis; si enim esset, eodem modo philosophandum esset de utraque voluntate & termino, unde dixerem non posse esse ab aeterno volitionem illius creationis, & non existere ab aeterno creationem ipsam: sicut non potest ab aeterno esse illa volitio, quin ab aeterno sit creatio volita. Potest ergo Deus velle creationem ab aeterno, & tamen creatio non produci ab aeterno, quia non vult illam ab aeterno pro aeternitate, seu tunc pro tunc, sed pro alio tempore: sicut cum Deus hodie vult diem crastinum, vult quidem hodie sed non pro hodie, sed pro tempore imaginario crastino: si autem illa volitio esset productio diei crastinae, non posset non eum producere hodie, cum volitio, ut supponitur sit

actualis ejus productio, seu ipsa ratio formalis, per quam ponitur extra causas.

Objicies secundo: posita hac volitione Dei, & tali tempore, non potest, nec per Divinam potentiam, non existere effectus volitus, ergo non requiritur actio aliqua distincta, haec enim tunc solum datur, quando requiritur ulterior aliqua determinatio, ob indifferentiam, quae adhuc relinquitur positis requisitis ex parte causarum in actu primo; hic autem nulla videtur relicta indifferentia, ad quam tollendam requiratur ulterior determinatio.

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, nam non potest dari talis voluntas Divina, quin in objecto ipse involvatur actio, haec siquidem voluntas Dei est ejusmodi, volo ut haec quantitas, vel haec forma materialis dependeat a me solo: hoc autem non potest Deus velle nisi volendo aliquid per quod determinetur ad dependendum ab illo solo: sicut enim voluntas, qua vult Deus formam ignis educi ab hac materia sola, vel produci ab hoc igne solo, involvit in suo objecto aliquid determinativum ad hanc materiam, vel hunc ignem solum, ita & ad dependendum a solo Deo.

Quae omnia confirmantur ex aliis volitionibus Divinis, nam posito quod Deus velit Petrum videre nigredinem, quod velit parietem esse album, aquam calidam &c. non potest nec per Divinam potentiam Petrus non videre nigredinem, aut paries non esse albus, aut aqua non calida, non tamen sequitur, habere haec sine visione, albedine, & calore distincto, & tamen posita illa volitione Divina, tam est potentia visiva Petri necessario determinata ad nigredinem, quam posita alia voluntate, quantitas est necessario determinata ad dependendum a solo Deo. In utroque ergo casu dicendum est solum determinari causaliter, non formaliter, ad volitione Divina, in quantum scilicet volitio Divina utrobique vult, & causat determinationem formalem, nempe actionem, qua determinatur ibi potentia visiva Petri ad nigredinem, hic quantitas, vel Angelus ad dependendum a solo Deo.

Dices; ipso facto quod Deus velit quantitatem existere independentem ab omni causa creata, vult eam dependere a solo Deo, ergo saltem non requiritur aliquid positivum distinctum, sed solum negatio dependentiae ab omni causa creata. Resp. ut supra disp. praecedente, s. 7. dixi in simili, negationem dependentiae ab omni causa creata non esse formaliter dependentiam a solo Deo, sed tantum arguitivam: sicut si tres tantum essent colores possibiles, albedo nigredo & viriditas, & paries nec per Divinam potentiam posset non habere unum, sequitur evidenter, si paries nec habeat albedinem, nec nigredinem, habere eum viriditatem, & tamen non est viridis formaliter per negationes albedinis & nigredinis.

Secunda conclusio: creatio non est aggregatum ex voluntate Dei, & termino creato. Ratio breviter est, quia jam ostendi terminum creatum, Angelum ex. g. esse indifferentem ut pendeat a variis agentibus, ergo requiritur aliquid aliud ad hanc indifferentiam tollendam: praesertim cum voluntas Dei non determinet ad quidquam producendum in genere causae formalis, sed efficientis, ut jam ostensum est tum in hac sectione, tam disp. praecedente s. 7. n. 4. & 5.

V. Obie. posita volitione di. vna, & tali tempore, sequitur tunc necessario effectus.

VI. Resp. in ob. je. de talis volitionis div. na includi necessario actionem creativam.

VII. Res. explicatur per alias volitiones divinas.

VIII. Negatio dependentiae di. causa omni creata non est dependentia a Deo, nisi tantum arguitivae.

IX. Creatio non est aggregatum ex voluntate Dei & termino.



SECTIO V.

SECTIO VI.

Utrum creatio habeat subjectum.

Utrum possit creatura aliqua creare.

*Creatio ha-  
bit subie-  
ctum adhe-  
sionis, non  
sustentatio-  
nis.*

**R**esp. habere subjectum intimæ affectionis, seu adhesionis, & denominationis, non tamen subjectum sustentationis, & inhesionis. Prima pars constat, creatio enim, si sit actio distincta ab agente & termino, est modus, ergo petit afficere aliquod subjectum, cum essentia modi consistat in actuali adhesionem, & affectionem, ut supra ostensum est d. 13. Secunda etiam pars ostenditur, nam quando creatur Angelus, nihil est quod possit esse creationis subjectum præter ipsum terminum, nempe Angelum, sed terminus non potest esse subjectum sustentationis respectu actionis, quæ producitur, ob rationes positas d. præcedente, s. 2. sic enim esset causa sui, & alia quæ ibidem habentur, ergo. Deinde, creatio reddit terminum independentem à subjecto sustentationis, ergo ipsa similiter debet esse à tali subjecto independentens. Tandem terminus creationis, Angelus v. g. non potest inhærere seu esse in subjecto, ergo nec inesse seu inhærere ei poterit ejus creatio, cum non aliunde terminus sit in subjecto, nisi quia actio quæ producitur, subjecto inest.

*Obijc. crea-  
tionem esse  
accidens, sicq;  
debere habere  
subjecta sus-  
tentionis.*

**II.** Dices; creatio est accidens, ergo debet esse in subjecto, cum accidens esse sit inesse, saltem aptitudinaliter, creatio autem nec aptitudinaliter est in subjecto sustentationis, cum, ut diximus, esse nequeat in subjecto materialiter in illam, & ejus terminum influente. Huic argumento P. Suar. d. 40. Met. f. 5. n. 27. cum aliis respondet, rationem non esse accidentis, sed modum substantialem. Existimo tamen probabilius cum P. Hurt. d. 12. Phy. f. 4. n. 80. P. Arriaga d. 9. Phy. f. 4. n. 57. & recentioribus communiter, creationem esse modum accidentalem.

*Explicat  
naturam acci-  
dentis, ostendit  
quomodo  
modo creatio  
sit accidens.*

**III.** Ad argumentum ergo Resp. si per inesse subjecto intelligatur pendere ab eo in genere causæ materialis, hunc non esse essentialem conceptum accidentis, cum conveniat etiam formæ substantiali materiali. Inesse ergo hic lumi debet pro adhærere, & dici debet conceptum accidentis in duobus sicut esse, tum ut sit extra constitutionem rei, tum ut sit forma aliqua, seu perfectio rei illi mediata vel immediata affixa. Et hac ratione creatio inest, & inhæret, (si quis ita loqui velit) vel potius adhæret termino, quem producit.

*Cur Angeli  
& materia  
primæ ne-  
queant  
etiam divi-  
nitus gene-  
rari.*

**IV.** Quæres tertio, utrum res quæ ex naturâ suâ peuntur creati, possunt per Divinam potentiam generari. & educi ex potentia subjecti? Quæstio præcipue procedit de anima rationali, nam de Angelis & materia primâ, videtur clarum non posse, nec divinitus generari, eum nec divinitus habere possint subjectum: Angeli quidem, quia sunt entia completa, & consequenter nec divinitus esse possunt in subjecto. De materiâ etiam non minus videtur certa assertio, tum quia tunc non esset primum subjectum, contra ejus definitionem: tum quia si educeretur ex potentia subjecti, deberet esse in alio tanquam in subjecto, & consequenter esset forma, quod implicat: sic enim esset actus physicus, & non pura potentia physica.

*Anima  
rationis  
nata non  
potest gene-  
rari.*

**V.** Idem cenleo de anima rationali, nempe, non posse eam educi ex potentia alicujus subjecti, seu generari. Cum tamen anima sit quid incompletum, & forma corporis, res hæc non est adeo clara.

**P**osse creaturam divinitus elevari ad creandam, ostendi supra d. 27. l. 6. n. 9. Quod ergo in præsententi quærimus, est, an possibile sit creatura quæ naturæ viribus creare aliquid possit.

**I.** Status quæ-  
sitionis.

Suppono tanquam certum, nullam unquam creaturam hæcenus quidquam creasse: sic enim habetur Ecclesi. 1. v. 8. *Vnus est altissimus creator omnipotens.* Quare erravit A Vienna l. 1. sufficit. c. 10. qui asseruit Angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum, infimum verò Angelum creasse res corporeas. Erravit Simon Magus, & alij ejus discipuli apud Irenæum l. 1. adversus Hæreses c. 20. qui mundi creationem non Deo, sed quibusdam intelligentiis tribuebant. Omnium autem pessimè errarunt Manichæi, & Albigenes apud D. Antonin. 3. p. Hist. tit. 19. c. 1. qui rerum visibilium creationem adscribebant Deo cuidam, seu principio malo. Sed his erroribus & deliramentis relictis.

**II.** Nulla hæcenus crea-  
tura quid-  
quam creavit.

*Error Avi-  
cennæ, &  
aliorum cir-  
ca mundi  
creationem.*

Prima sententia affirmat dari posse creaturam tantam perfectam, ut tanquam causa principalis, & solis naturæ viribus possit creare: ita Durand. in 2. d. 1. q. 4. cui etiam sententia subscribit P. Arriaga d. 1. 1. Phy. f. 5. n. 97. Ratio est, quia nulla urgens ratio affertur potest unde ostendatur hoc esse impossibile.

**III.** Dicunt alii  
qui possunt  
creaturam  
naturaliter  
creare.

Secunda & vera sententia asserit, virtutem creatricem, seu ex nihilo productricem nulli omnino creaturæ tanquam causæ principali concedi posse, sed esse solius Dei propriam: ita Magist. in 4. d. 1. S. Thomas 1. p. q. 45. a. 5. corp. & 2. cont. Gent. c. 21. Scotus in 4. d. 1. q. 1. Okam in 2. q. 7. Valentia 1. p. d. 3. q. 2. p. 4. Suar. d. 20. Met. f. 2. Valq. 1. p. d. 175. c. 1. & 2. Albert. to. 1. Princip. 1. coroll. 17. Murcia l. 1. de gen. d. 1. q. 6. Hurt. d. 12. Phy. f. 7. Granado 1. v. Cont. 6. d. 3. n. 2. Tanner. 1. p. d. 6. d. 2. n. 3. Oviedo cont. 13. Phy. p. 4. n. 10. & communis Theologorum sententia, cui hac in parte refragari non est tutum, ut notat P. Hurt. citatus. In ratione tamen hujus rei assignanda non parum omnes laborare video. Præcipuas hic producam: deinde quæ ratio mihi ad hunc finem efficacissima videatur, aperiam.

**IV.** Potentia na-  
turæ aliter  
creandi  
conspicitur  
solius  
Dei.

*Ratio hujus  
rei assidue  
redditur.*

Prima itaque ratio assignari solet, quod effectus universalissimus reduci debeat ad causam universatissimam, nempe Deum, sed terminus creationis est universalissimus, nempe ens in quantum ens, ergo. Hæc tamen ratio non parum videtur difficilis: vel enim intelligitur creationem respicere ens ut sic, & hoc dici nequit, sic enim & Deus creari posset, cum sit Ens. Deinde actiones physice primò sunt circa singularia, & ratione illorum feruntur ad rationes communes, eum respiciant res ut ponendas à parte rei, sicque ut singulares: unde ait Aristoteles medicam non curare hominem, sed Socratem, aut Platonem.

**V.** Prima ra-  
tio, quod effec-  
tus univer-  
salissimus re-  
duci debeat  
ad causam  
universalis-  
simam.

*Medicus non  
curat ho-  
minem, sed So-  
cratem.*

Vel dum dicitur creationem respicere Ens ut Ens, sensus est, per creationem produci non solum alias rationes, & prædicata in re quibus reperta, sed etiam rationem Entis: hoc autem sensu etiam generatio respicit Ens ut Ens, nec enim rationem tantum calor, qualitates, & accidentis in calore producit, sed etiam rationem Entis. Quare autem Deus dicatur respicere Ens ut Ens, dictum est supra d. 24. f. 3. n. 6.

**VI.** Quis sensus  
creatio respici-  
cat Ens ut  
Ens.

Secunda ratio est P. Saarij d. 20. Met. f. 2. n. 1. quia si esset possibilis talis creatura, deberet de facto dari, cum spectet ad perfectionem universi, ut ex omni serie rerum aliqua saltem sint producta. Sed contra, unde probatur Deum creasse omnia quæ spectant ad perfectionem universi, & non esse possibilem.

**VII.** Secunda ra-  
tio, quia si  
possibilis  
creatura pon-  
tens crearet,  
deberet de  
facto dari.



les plures & plures series rerum, quas Deus de facto non creavit ? sicut esse possibile corpus simplex asserunt plurimi, quod tamen negant de facto dari.

VIII. Tertia ratio, quia sequitur creaturam illam posse creare quilibet.

Tertia : quia si posset dari creatura aliqua quæ posset creare sequitur posse illam creare quælibet, quod tamen non videtur concedendum, illa enim esset nimia virtus & non concedenda creaturæ. At sanè, non video vim hujus rationis ; quidni enim dari poterit creatura aliqua quæ ex peculiari suâ entitate & proportione cum aliquibus effectibus, & non cum aliis, possit dicere ordinem transcendentalem ad hos effectus, non ad alios ? Sicut licet de facto causæ omnes secundæ operentur dependenter à materiâ, adhuc tamen majorem habent ex naturâ suâ particulari limitationem singulæ, quàm accipiat à materiâ ; materia enim est indifferens ad effectus omnium ferè causarum secundarum, ergo non restringuntur causæ secundæ à materiâ, sed aliunde, nempe ex suâ particulari & specificâ, vel individuali differentia.

IX. Quarta ratio, ob infinitam distantiam inter terminum à quo & ad quem.

Quarta est Cajet. i. p. q. 45. a. 1. quia quod major est distantia inter terminum à quo & ad quem, major virtus requiritur ad effectum ab uno ad alterum reducendum, sed infinita est distantia inter terminum creationis, nempe Ens, & terminum ejus à quo, nempe nihil, ergo requiritur infinita virtus ad creandum. Contra, tam procedit terminus generationis ex nihilo, ut ostendi supra d. 11. l. 7. n. 4. & 6. si per nihilum intelligatur negatio rei generatæ, quàm terminus creationis. Deinde, non est infinita distantia inter rem finitam & ejus negationem, nec enim plus distat quàm habet res illa perfectionis, quæ cum non habeat perfectionem infinitam, non potest infinitè distare à negatione sui.

Non distat infinitè Ens & non Ens.

X. Quinta ratio : quia creatura materialis, potens naturaliter creare, debet esse spiritualis.

Quinta est P. Vasquij To. 2. in 1 p. d. 175. c. 2. & desumpta videtur ex Scoto, quia creatura illa, quæ posset naturaliter creare, deberet esse spiritualis, res enim omnis materialis, cum in essendo sit dependens à materiâ, debet etiam esse dependens ab eadem in operando : sed non potest esse res spiritualis, ergo. Probatur minor, deberet enim creare per voluntatem, sed hoc dici nequit, voluntas siquidem est accidens, & consequenter non apta ad creandum & producendum effectum substantialem. Contra primò, voluntas secundum multos non est accidens, sed ipsa substantia Angeli & animæ. Contra secundò, probabile est posse dari corpus simplex ; illud autem non dependeret à materiâ in essendo, cum non esset compositum ex materiâ & formâ. Contra tertio, esto sola res spiritualis posset creare, non tamen sequitur, debere ipsam creare per voluntatem, tanquam per rationem formalem, sed solum tanquam per applicationem rationis formalis, & virtutis creativæ ; sicut de facto homo non generat per volitionem, tanquam per rationem formalem, sed per potentiam generativam.

Hæc ratio in multis definit.

XI. Sexta ratio : quia creatura elicere nequit actionem quæ non sit pars compositionis physice.

P. Hurt. d. 12. Phyl. 7. §. 69. rejectis aliorum rationibus, hanc assertit : Nulla, inquit, est creatura quæ non habeat aliquam compositionem, vel ex materiâ & formâ, vel naturâ & substantiâ, vel essentiâ & accidente, consequenter nulla creatura potest elicere aliquam actionem quæ non sit pars veræ compositionis, vel per modum formæ, vel subjecti, sed creatio neutro modo facit veram compositionem, nam non ut subjectum, ut constat, nec etiam ut forma creatio enim non potest esse in nullo, tanquam in subjecto : ergo. Hæc ille. Quæ ratio si non placet, quære, inquit, aliam.

XII.

Non placet : primò, quia creatio verè est in termino, ut in subjecto adhesionis, & intimæ affectionis, & facit veram compositionem cum eo : nec enim ad veram compositionem requiritur, ut educatur for-

ma ex potentiâ subjecti, ut supra probavimus : unde non minùs esset verè homo, & compositum substantiale ex materiâ & animâ rationali, si unio crearetur, quàm dum generatur, ut ostendi supra d. 14. l. 7. tam enim verè uniret extrema illa inter se, & compositionem inter materiam & formam facere unio creata, quàm educta ex potentiâ alterius, vel utriusque extremi. Secundò, quia in opinione P. Hurt. creatio non distinguitur ab entitate Angeli, & animæ, nec materiæ primæ, & tamen hæc omnia faciunt veram compositionem cum formis, potentiis, & actibus vitalibus &c. ergo creatio facit veram compositionem, utpote cum iis identificata.

Hæc ratio non tenet, creatio enim facit veram compositionem physice.

SECTIO VII.

Vera ratio cur creatura nequeat creare.

Alia ergo ratio sic efformari posse videtur, non potest actio aliqua habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum & totale à quo profluit, hic autem id contingeret, nam creatio peteret ex naturâ suâ esse independens ab alio tanquam à subjecto, principium autem adæquatum in se includit aliquid dependens à subjecto, nam substantia ut connaturaliter operetur, debet esse subsistens, cum actiones sint suppositorum : item habere debet ubicationem aliquam & durationem, hæc autem connaturaliter petunt educi ex potentiâ sui subjecti. Cum ergo principium adæquatum, nempe Angelus subsistens, Angelus ubicatus, aut durans includat in se aliquid generatum, actio quæ procedit ab hoc principio, non debet habere perfectiorem modum existendi quàm principium ipsum, sicque nec debet esse creatio.

I. Actio non potest habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum.

Et si quis dicat Actionem procedere efficienter à solâ substantiâ Angeli, non à subsistentiâ, ubicatione, aut duratione. Hoc non obstat, nam saltem substantia illa, ut operetur, requirit connaturaliter ut habeat subsistentiam, ubicationem, & durationem eductas ex illius potentiâ, & consequenter ut principium completum involvit in se connaturaliter aliquid generatum, actio autem connaturaliter refert quoad modum existendi principium à quo profluit. Conf. quidni in istis quoad modum existendi posset quis dicere, idem contingere, ac in conclusione respectu præmissarum, nempe, sequi debiliorem partem & consequenter si in principio adæquato reperitur aliquid eductum seu generatum, & actio à principio illo procedens debet esse educta seu generata.

II. Principium includit aliquid generatum, ergo actio potest proficere non potest esse creata, vel creatio.

Alia etiam ratio, saltem à posteriori, mihi formari posse videtur, licet à priori fortè difficile sit claram assignare. Ratio ergo est : videtur siquidem spectare ad dignitatem Dei, ut aliquæ sint actiones & effectus, vel aliqua series operationum, quæ ipsi soli jure competant, saltem connaturaliter : videmus enim res per se loquendo, quod perfectiores sunt eò habere perfectiorem aliquam operationum seriem sibi correspondentem : sic viventia habent operationem vitalem, animalia sensitivam, rationalia intellectivalem, ergo ens omnium perfectissimum videtur debere habere aliquam seriem sibi peculiarem, alia autem non apparet, quæ assignari possit commodius, quàm creatio, ergo licet à priori assignari manifesta ratio non possit, adhuc dicendum ob hanc congruitatem, non posse actionem creativam naturaliter competere creaturæ.

III. Principium creatio cur creatura nequeat creare, deducitur à posteriori.

Quodd verò hæc actio ex omnibus videatur ad hoc aptissima, inde probabiliter suadet, quodd creatio sit quoad modum actio perfectissima, nam arguit

IV.



Creatio ad hoc munus aptissima ob independen- tiam.

guit modum operandi omnino independentem, sic ut autem dependentia quæ est major, arguit per se loquendo, majorem imperfectionem, ita è contrà independentia ex genere suo arguit perfectionem: unde licet alias actiones habeant creaturæ communes cum Deo, ut operationes vitales, intellectuales &c. congruum tamen est ut aliqua sit Deo peculiaris, nempe creatio, quippe quæ dignitatem quandam præferat, & excellentiam.

V. Opinio negans creaturam posse creare nititur maxime auctoritate Patrum.

Præcipua verò hujus rei probatio desumitur ex auctoritate sanctorum Patrum, qui omnes uno ore negant posse alteri, quam Deo actionem creativam competere: & inde probant contra Ariam, Christum esse Deum, quia habet virtutem creandi. Impotentiam verò hanc creandi refundunt in limitationem creaturæ. Sic enim, ut alios omitam, loquitur sanctus Athanasius contra Arianos: *administrare, inquit, creaturatum, & servorum est, condere autem, & creare solius Dei*; quod tamen dici cum veritate non posset, si esset possibilis creatura, cui virtus creandi instar causæ principalis communicari posset, sic enim creare non esset solius Dei.

SECTIO VIII.

Qua res possunt creari.

I. Angeli, anima rationalis, corpora simplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, ut educi ex subiecto nequeant, vel divinitus, ut ostendi supra f. 5. n. 4. & 5.

Dico primò: Angeli, anima rationalis, corpora simplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, ut educi ex subiecto nequeant, vel divinitus, ut ostendi supra f. 5. n. 4. & 5.

II. Forma substantiales, & accidentales absolute possunt creari.

Dico secundò: formæ aliæ substantiales, imò & accidentales absolute, sive materiales sint, ut calor, albedo, lux, frigus; sive spirituales, ut gratia, lumen gloriæ; & habitus tum in intellectu, tum voluntate, licet connaturaliter educantur, possunt tamen divinitus produci per creationem. Hoc à paritate rationis probatur in speciebus Eucharisticis: si enim illæ, accidentales cum sint, & materiales, conservari possunt per actionem creativam, quidni eodem modo conservari poterunt formæ materiales, substantiales, & accidentales spirituales?

III. Plerique modi possunt creari.

Dico tertio: modi omnes (iis exceptis in quibus est specialis repugnantia, de quibus hic aliquid subjiciam) creari possunt, ut ostendi supra d. 13. f. 3. nec quidquam hic addendum occurrit.

IV. Eductio nequit creari, nec creatio educi.

Dico quarto: actio eductiva produci per creationem non potest, sicut nec creatio educi. Ratio videtur clara: actio enim eductiva est essentialis dependentia à subiecto, ergo produci nequit per creationem, quæ terminum suum reddit independentem à

subiecto. Et eodem modo è contrario probatur creationem, quæ est independentia à subiecto, non posse ex eo educi: sic enim esset independentia dependens, quod perinde sonat, ac si quis diceret, indistantia distans, præsentia absens, conjunctio separata, & alia hujusmodi.

Dico quinto: nec creatio per aliam creationem produci potest, nec eductio per aliam eductionem educi. Probatur, quod enim est per se essentialiter tale, non potest illud habere per aliquid à se distinctum, sicut secundum omnes albedo non potest reddi alba per albedinem à se distinctam, nec calor similiter calidus.

Dices, uniones continuativæ partium quantitatis, aut albedinis, licet sint modi, & per se immediate afficiant partes illorum accidentium: per inhærentiam tamen, & unionem à se distinctam insunt materiæ tanquam subiecto, ut supra dixi d. 13. f. 1. n. 10. Sicut ergo unio aliqua potest per aliam unionem uniri, quidni & actio poterit per aliam actionem produci? Sed contrà, hoc enim nimium probat; probat siquidem posse creationem etiam naturaliter per aliam actionem produci, cum uniones illæ continuativæ quantitatis, & albedinis naturaliter uniantur materiæ tanquam subiecto.

Resp. itaque, uniones illas continuativas habere duplex munus; unum est ut partes illas extensionis inter se uniant & continent, & secundum hanc rationem immediate illas afficiunt, & connectunt, suntque respectu illarum modi, nec per aliam unionem continuationis possunt iis uniri; etiam divinitus, ut omnes fatentur. Aliud munus harum unionum continuationis est, ut informet materiam, & simul cum partibus quantitatis, & albedinis reddant illam quantam, & albam: sub hac autem ratione non sunt modi, sicque nil mirum si per unionem distinctam illi connectantur. Hæ ergo uniones continuativæ non sunt purè modi, sed duas in se complectuntur formalitates, modi alteram, alteram rei absolute, sicque sunt entitates mixtæ. At creatio secundum omnes est purus modus, nec aliud in eà munus aut prædicatum relucet, quàm ut faciat talem terminum dependentem à tali principio effectivo, sine concursu alicujus causæ materialis: nec cum fundamento aliam quis ei formalitatem affixerit. Unde non magis poterit una creatio produci per aliam, quàm res quæ est essentialiter alba, per aliam albedinem dealbari. Quod tamen nemo concedet: & rationem dicunt omnes esse, quia quod habet aliquid per essentialitatem, non potest illud accipere ab extrinseco. Idem ergo hic dicendum de Creatione.

V. Creatio per aliam creationem produci nequit.

VI. Difficultas ex unionibus continuativis quantitatis.

VII. Uniones illæ continuativæ habent duplex munus.

Uniones illæ continuativæ non sunt puri modi.

Creatio non magis creari potest, quàm albedo dealbari.

DISPUTATIO XLII.

De partibus continui.

Continuum merito vocatur Labyrinthum.

Ingrederimur labyrinthum, in quem, introitum multi, exitum nemo hactenus invenit. Quod èd magis mirum, cum de rebus, quæ ob oculos quotidie versantur, & ipsis etiam manibus palparamus, futurus sit sermo, ut de ligno, aqua, lapide, videmusque res qualque minutissimas, perspicacissimas etiam ingenis negotium facessere, & viros longè eruditissimos sub unius pili pondere gemere, seque ferendo non esse agnoscere. Imò quò penitus rem hanc quis intuetur, èd majoribus, magisque perplexis implicari se nodis, ac nexibus animadvertit. Hic proinde verè contingit, quod in monstro illo fabulosa finxit

antiquitas; uno enim, ut ita dicam, præciso, nova & nova difficultatum capita succrescunt; ita ut in hac palestrâ labore victi, philosophi etiam præstantissimi animum despondeant, seque certamini impares agnoscunt, de victoria desperent. Nondum natus Hercules qui hoc monstrum domet. Nulla emerit hactenus mens tam perspicax, quæ paleæ nobis, aut pili unius structuram evolvat.

Sub pili unius pondere gemunt Philisopii.